


Philipp Hartmann Michael Kirsten

VI. Quaestiones Physicae, De Coelo

Rostochi[i]: Kilius, 1639

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729600440>

Druck Freier  Zugang



R u phil 1639

Philipp Hartmann

Michael Kirsten (inv)



VI.
QUÆSTIONES PHYSICÆ,
DE COELO.

Quas
Divina favente gratiâ

Et

Consentiente Ampliff. Philosophorum Colle-
gio in inelyta Rostochiensi Academiâ

SUB PRÆSIDIO

Clariss. atq; Doctissimi VIRI

Dn. M. PHILIPPI HARTMANNI,

Lubená-Lufati.

Publico Doctorum examini subjiçiet

MICHAEL KIRSTENIUS,

Beroná Moravus, A. & R.

In Acroat. Majori ad d. 6. Februar. hor. masutinis.



ROSTOCHI,

Typis NICOLAI KILII, Academ. Typogr.

ANNO M DC XXXIX.

BLATT 10

Die ...

Die ...

Die ...


Die ...

Die ...

Die ...

Die ...

Die ...



ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

DE corpore eminentissimo quaestiones aliquot proponimus exercitij gratia. Hoc nobis cura est; non aut texere commentarium, aut novi quid est insoliti proferre, ἡ δὲ ἄξιόματα, καὶ δαύματα ῥημάτων. Veritatem querimus, quae certè nullibi magis remota est ex oculis nostris, quàm in sublimibus istis rebus. Quare in his contenti debemus esse eâ cognitione, ad quâ humana ratio pervenire potest, dicente Zabarella. Veniam dabit nobis, si quâ erravimus, amicus veritatis, & cogitabit; aliorum sententias oppugnare paratius esse unicuiq; quàm suam tutò alienis committere iudiciis, quod à magno Scaligero dictum est.

QUEST. I.

An caelum sit compositum Physicum ex materia & formâ?

OTiosa quidem videtur hæc quaestio νεχόντως φιλοσοφῆντι, & tam n ingentes olim excitavit contentiones. Producamus opinionones; αἱ γὰρ τῶν ἐναντιῶ δόξοδείξεις, ἀπρίαι πρὸ τῶν ἐναντιῶν εἰσιν, ut ait Arist. 1. de Cælo c. 10. t. 100.

I. Averrois, Zabarella, alijq; plurimi, ex Græcis præsertim, profus negant. Sed ita variè, ita perplexè loquuntur, ut appareat acutior, eos ipsos nescire, quid sentiant, aut non sentiant. Zabar. decæl. c. 6. Orbis, ait, dicitur materia qua non habet potentiam adesse, sed ad solum ubi; item: Eâ materia mobilis est ens actu. Er. c. 8. cælum est forma, quatenus idem est cum essentiâ seu quidditate, ibid. Græci interpretes vocant cælum materiam formalem, & formam materialem. Averr. l. de subst. Orb. statuit, cælum esse potius subiectum quantitatis & figuræ, quàm

quàm materiatur. neq; de eo, & corporebus hisce inferioribus univoce dicitur corpus. Sed hoc corpus esse quoddam inter puram potentiam, & puram materiam. Audio verba quidem, quod meum pectus exsaturet audire aeco, at nihil audio, ut utar Scaligeri verbis.

Argumenta eorum præcipua ista sunt :

1. Philosophi invenerunt materiam per transmutationem. ut n. *operatio est indicium actus, ita ista potentia.* At in eocio non est. E. materiam in eo agnoscere non debemus, destituti medio cognitionis.

2. Si haberet materiam, esset corruptibile, quia potentia passiva *materie est δύναμις ἀντιφάσεως adesse sc. & non esse.* Et confirmatur def. n. Arist. 5. Met. c. 7. Potentia est principium transmutationis. E. ubi illa, ibi corruptio. Vel, ut proponit Javellus l. d. *Ens impurâ potentia ad esse simpliciter est indifferens, quantum ex se, ad esse & non esse.* Sed Cœlum. E.

3. Si materia esset in cœlo, esset vel *propter quantitatem, vel qualitates, vel motum localem, vel alias causas:* at nulla harum cogitur, sed sufficit, si sit forma mobilis, adfecta tribus dimensionibus. E. non opus est materiâ. Vide latè explic. apud Javellum. 4. Ornatus universi postulat; ut detur corpus simplicissimum. His addunt Autoritates Aristoteles. Sed quia potius rationibus certandum est, quam auctoritatibus: & præterea illa pro lubitu cujusvis torquentur invertunturq; non curamus illas, nec ijs uti volumus, licet possemus melius, quam illi, ut probat Pererius l. 5. c. 9. Conimb. de Cœl. c. 2. q. 5. art. 2. Alij.

II. Contrarium tuentur melior & olim & hodie Philosophantiû chorus. Nec injuriâ certè. Rationes sunt:

1. Substantia corporea est vel materia, vel forma, vel compositum. Jam cœlum non est materia nuda; quia 1. *materia non operatur.* 2. *non est hoc aliquid.* 3. *non habet quantitatem determinatam.* 4. *per se accidentibus, & ἐγγυττωαίς instructa est.* Nec est nuda forma: quia 1. *forma non est pati, aut moveri, non enim potentia, sed actus.* 2. *nec est exsensu, nisi per accidens, ejus enim esse consistit in indivisibili.* Utraq; vero per se non existere potest; sunt enim entia incompleta materia & forma, nec finem, aut perfectionem suam adipiscuntur, nisi inconstituendo composito. E: cœlum est compositum.

2. Omne individuum sensibile ex materiâ & formâ coagmentatur, quia

quia *adaquata passio semper testatur de suo subiecto*: jam in cœlo sunt, motus, densitas, raritas, quantitas, cujus primæva radix materia, qualitates corporeæ, quis ergò neget cœlum ipsum esse corporeum?

3. *Omne quod est, est actus, vel habens actum*, ut loquitur Egidius, velut Javellus; Cœlum est aliquid actu, est g. vel subsistens, et Substantiæ separata, habens immaterialcs, & nobilissimas actiones: vel habet formam in alio, quod se habet ut potentia ad actum. Sed absurdum prius est, Ergò verum est posterius.

4. Adde insignes absurditates & *ἀντιλογίας* Adversariorum. Dicunt cœlum corpus esse naturale, & tamen negant constare materiâ & forma. Quid aliud hoc dicere est, quàm corpus naturale non esse corpus naturale? Quo modo enim erit corpus, carens principijs corporis? aut quomodo adfectiones de eo demonstrari possunt. Cur Zabarella alijq; adeò anxie disquirunt, quomodo cœlo insit natura cum tamen non sit naturale secundum ipsos? Deinde ajunt, *Cœli materiam esse potius subiectum, quam materiâ*. Javell. p. 454. *quia materia semper includit potentiam, quàm subiectum jam ponit actuam*. Quid aliud est *Subiectum quantitativæ figuræ et motus, quam materia*? Cur adeo illis odiosum materiæ vocabulum est, ut cum rem concedant, rei signum non tolerant? Nesciunt quid loquantur. Rectè Scaliger. *qui negant in cœlo materiam, recordes sunt. Corpus facere sine materiâ, est facere insomnium sine somno*. Quid absurdius est, quàm esse aliquid in naturâ per se subsistens, quod neq; sit Deus, neq; actus, neq; potentia, neq; informans, neq; informatum, neq; materia, neq; non materia, neq; corpus, neq; non corpus: extrâ prædicamentum gerens prædicamentales quantitates, & qualitates, ut Idem describit. Ex. 61. §. 5. *Monstrum hoc quidem est, non Ens à Deo conditum*.

Nos, quoniam cogit Veritas posteriorum imus in sententiam, Liberanda igitur argumenta nostra sunt ab objectionibus impugnantium, & deinde principalia illorum refutanda.

Ad 2. respondet Zabarella c. 9. ex distinctione formæ suæ in eam, quæ est pars compositi, & eam, quæ idem est ac essentia, & quidditas. c. 8. *Omne sensibile habere materiam, id est, esse tale, quod subsensibilem capit, & formam, s. esse intelligibile, non vidè necesse esse, ut omne habeat duas partes realiter distinctas*. Sic igitur cœlum habet formam

*I. quidditatem ratione distinctam à se habente, & visibile esse, cujus
caussa in materia esse dicatur.*

Ad 3. Idem dicit, nempè *cælum habere actum, id est quidditatem,
ut Petrus humanitatem.* Sed nugæ hæc sunt. Nonne enim ista ma-
teria & forma, seu esse intelligibile & sensibile sunt extrinsecæ denomi-
nationes? Nonne habens actum, omiſſâ negatione ipsi est nihil ali-
ud, quàm actus ipse? Realem compositionem quærimus, non ima-
ginarias. Non decebat ita ludere summum Philosophum: nec A-
ristoteles ita ineptus fuit, ut ipse quidem persuadere nobis conatur.
Jandunus l. 8. Met. c. 8. æquè ineptus, qui concedit *cælum esse actum,*
nec tamen intelligere, quia non sit separatus à magnitudine. Sed probet
prius talem actû dari, qui parum actus habeat, omniaq; quæ materiæ
inseparabilia sunt, & propria. Idem ait densitatem & raritatem in
cælo non esse penes plus aut minus habere de materiâ, sed penes termi-
nare & non terminare visum. Sed quomodo potest terminari visus,
nisi materiæ objectu? Salva ergò stant nostræ Rationes: contrariæ
v. ita solvuntur.

Ad 1. Resp. Conimbr. l. 1. c. 2. q. 5. art. 5. *non ex mutatione substan-
tiali solum, sed accidentali etiam venisse Physicos in cognitione materiæ.*
Ad 2. *à signato ad signum non valet consequentia.* Nec operationi
actus propriè respondet transmutatio, sed passio materiæ, poti a. po-
test absq; mutatione substantiali.

Ad 2. Resp. Thomas, & qui cum eo, materiam cæli esse diversam
ab inferiore, ideoq; non habere potentiam contradictiones ad esse &
non esse, sed solum ad diversa ubi. Javellus constituit duplicem po-
tentiam; unam ad esse conjunctum, qualis in cælo: alteram ad esse re-
motum, qualis in nostro orbe. Hanc separabilem; illam inseparabilem
quoq; vocant. Arnisis. p. 204. Nos non defendi cupimus istis figmen-
tis, sed quid sentiamus de cæli & $\Phi\upsilon\sigma\omicron\tau\alpha$ patebit ex Q. III.

Ad 3. negamus, *ullum eorum accidentium, quæ insunt, posse inesse
absq; materiâ.* Formam illam Filij Rois purum putum esse figmen-
tum. Ideoq; hoc argumento nostram potius sententiam confir-
mari.

Ad 4. Rectè ajunt Conimbr. l. d. *Mundum per se perfectum esse
satis atq; pulchrum, nec opus habere ista fictitiâ formâ, quam Naturæ
tamen non tolerat ad sui perfectionem.* Ad 5. cur non etiam Chy-
mære

mara, & Hippocentaurus, & Cerberus, & Geryon, & sexcenta alia
Poëtarum portenta in Mundo locum inveniunt, cum & hæc ipsum
ornare possent? Vid. & Scalig. Ex. 61. l. 1. & s. Perer. l. 5. c. 9.

QUÆST. II.

An materia cæli sit eadem cum inferiore?

Sensus est: *An sint potentia ejusdem speciei materia prima, & distinguantur tantum numero, non ex se, sed ex qua litatibus, sub quibus sunt, ita ut si abstrahatur qualitas & forma cæli à materia cæli, & similiter inferiore, esset una numero materia, penitus indistincta, ut explicat Javellus l. 8. q. 13* Hic iterum duæ sectæ:

I. Quæ omnes ferè ex Veteribus comprehendit, Negativam acerrimè tuetur. Argumenta, quibus pugnant, sunt.

I. Sicut hæc inferior est in potentia ad sublunares formas, ita etiam cælesti, alias non essent ejusdem rationis: igitur appetet alias formas, qui appetibus, cum nō semper frustra esse possit; exhibit aliquando in actū & cælum corrumpetur. Ex ovo fit gallina E. ex cælo etiam, quia utriusq; materia eadem est potentia. vid. Zabarell. c. 5. Perer. l. 5. c. 10. Javell. l. 8. c. 13. Conimbr. l. 1. c. 2. q. 6. art. 2. qui tamen utramq; partem defendunt, utramq; etiam destruunt. Scilicet hoc illos angit, qui hoc defendunt dogmā. Metuunt bono Universi, ideòq; ne ruat, opes suas certatim conferunt, non aliter ac prisca homines Luce laboranti æra auxiliari a subministrabant.

2. Si esset eadem, conveniret ei definitio materiae, quam tradit Arist. i. Phys. adeoq; esset subjectum primum ex quo aliquid fit, seu generatur. Zab. c. 5.

3. Non convenit bene constituta civitati, ut idem sit Principis vehiculum, & eerdonis, ut ait Scalig. Ex. d.

4. Motus cæli differt specie à sublunaribus. E. arguit diversam naturam in cælo. Magir. l. 2. c. 2.

II. Adfirmativam timentur rationibus sequentibus.

1. Materia cæli secundum se simpliciter, abjuncta formā, considerata, est pura potentia quia nullum includit actum. E. ab aliā purā potentia nullo modo differre potest. Actus enim in talibus est, qui separat & distinguit. vid. Zabarell. c. 11.

1. Si sunt diversarum rationum, E. una magis recedet à primo actu,

actu, quam alia. At hoc fieri nequit. Nam ut in puro actu, ita in pura potentia nulli sunt gradus.

3. Quaecumq; conveniunt in una differentia specifica, ea sunt unius essentiae: At materia &c. E. differentia ista est, pura potentia.

4. In omni causarum genere est aliqua prima. E. etiam in genere materiae, ne duae erunt aequaliter primae.

5. Ubicumq; datur idem proprius, & immediatus effectus, ibi datur eadem causa. Identitas enim effectus proprii, infert identitatem causae propriae. Jam in corporibus coelestibus, & sub coelestibus est idem effectus, quoad identitatem essentialem, nempe quantitas, quae immediate sequitur materiam. E. vid. Scharff. p. 235.

6. Nulla cogit necessitas, ut multiplemus entia, illa enim de corruptibilitate coeli nulla est, ut probari potest.

Atq; haec eadem nostra est sententia. Solvamus igitur & Responsiones Adversariorum & principalia argumenta.

Ad 1. Resp. Javellus paullo obscurius, Pererius clarius utriusq; mens est: duas istas materias differre per suas essentias, non v. aliquem actum, qui tantum compositum conveniat. Istam verò differentiam non posse declarari nisi ab extrinseco, scilicet à diverso modo informandi, qui respectus, & si sit materia posterior, tamen praebeat certissimum de ingenio materiae iudicium. Cum itaq; sit duplex modus informandi, separabiliter sc. & inseparabiliter, duplex erit materia. Sed Resp. nequaquam isti informationis modi sunt diversi per se, seu essentialiter, ut ita dicam, considerati. Informationis vis essentialis in eo est, ut actus seu perficiatur ab actu potentia, separabiliter, aut inseparabiliter id faciat, id sit per accidens, Et cur non formarum distinctio etiam hinc petitur, non enim dispar ratio? Excipiunt Conimbr. id fieri, arguiq; formarum diversitatem à materijs diversis dispositionibus adfectis. Resp. 1. Dispositiones istae accidentales sunt, & differunt forma per se, & suas essentias, ut possumus advertere, non consideratis istis dispositionibus. 2. Quia modus recipiendi formas facit infinitas ferè specie distinctas formas, E. modus informandi tot faciet materias. Quae n. sit, quæso, ratio diversitatis?

Ad 2. Resp. Javellus, coeli materiam minus distare, non propter actum intrinsecum, sed extrinsecum, qui minus distet, Resp. 1. non refert an forma magis vel minus distet, sed ipsam suam essentiam & quidditate distare

diffare debet. Quia utraq; est ejusdem conditionis, nec unâ præ alterâ aliquid actualitatis includit, idè magis aut minus distare nequeunt. 2. Cur non materia hominis minus distat, quia forma hominis procul dubio minus distat à primo puro actû?

Ad 3. Negat Javellus potentiam puram esse naturam specificam matetix, quod tamen probat Pererius l. 5. c. 21 Rationem non habet aliam, nisi quia sic tenet. Ego v. contrâ teneo, & probô. *Per quodcunq; materia est id, quod est, illud est materia ratio specifica: At esse puram potentiam, &c. E. Et contrâ: quicquid accidit materia in esse jam constituitur, illud est extraneum: At complere, vel non complere potentialitatem materia, &c. E.*

Ad 4. dicit Pererius sufficere, si veniamus ad materiam primam aliquam analogicè dictam, que dicatur de materia utraq;, ut forma de intelligentiâ & animâ. Resp. non sufficit, non enim materia cœli equivoçè talis est: aut si sentit ita, cur dissimulat? Conimbricenses ajunt, esse aliam rationem matetix, ac aliarum causarum. Sed quænam est ratio? ipsi non addunt, nec ego sum Oedipus, ut divinem.

Ad 5. Negat Pererius quantitatem utriusq; esse ejusdem rationis. Ratio. Superioris matetix immutabilis est, & incorruptibilis, inferioris v. contrâ. Resp. Hoc est est accidente. Essentia quantitatis ubiq; eadem est: termini autem variantur aliter acq; aliter propter subiectum. Ipse l. 5. c. 28. asseverat, quantitatem in inferiori matetia, & ante gredi formas substantiales, & suâ naturâ interminatam esse, & per se nunquam generari, aut corrumpi, sed ex accidente, nimirum ratione determinationis & figura.

Restat Principalia argumenta, ut amoliamur.

Ad 1. Resp. Ægidius, formam cœli nob. lissimam explere universum matetix appetitum. Hunc refutant Javellus l. 8. q. 13. Zabarell. c. 5. Conimb. l. 2. q. 3. c. 5. Pererius & cœteri. Quid nos sentiamus, ex seq. Q planum fiet. Interim non video, quomodo ipsi incorruptibilitatè sui cœli tueantur. Si materia aquæ est in potentiâ ad aerem, etiam Luna erit ad solis formam. Excip. Conimb. l. d. & Javell. l. 8. q. 15. esse diversum modum actuandi, formamq; Lunæ omnem explere potentiam. Resp. Et ego dico, formam cœli omnem explere potentiam in meâ matetia. At excip. hoc nequit fieri, sic enim potèntiam esse frustra. Resp. cur illa non est frustra? Ulriusq; certè eadem.

B

est

est ratio. Hinc aliqui materiam cœli, in multas divellunt species, ut Conimb. & Jacchæus l. 5. c. 2. sed quot tandem nobis erunt materiæ primæ? Adverte etiam insignem nugationem. Quæro; quare materia cœli sit in potentia ad formam suam non etiam ad alias? Respondent, quia alterius est ordinis. Quæro; quare sit alterius ordinis? Resp. quia non habet potentiam nisi ad unam formam. Nonne hæc sunt deliramenta?

Ad 3. Suavis hæc est rhetoricatio. Quasi verò materia detrat formæ perfectionem, innoxium ens, & tantum ad patiendum aptum. *Identitas materiæ non indicat identitatem essentiæ, nisi accedat formæ identitas*, ait benè Timpl. c. 3 Apsych. Et nonne eadem materia & vilissimi scarabæi, & nobilissimi animi nostri vehiculum est, & receptaculum? vid. egregiè differentem Scalig. Ex. 61.

Ad 2. Materia est subjectum ex quo aliquid fit, *hoc est constat, seu constituitur*, ut benè explicant Conimbr. in Physl. c. 6. q. 2. art. 1. non generatur, ut vult Zabarella, licet etiam ex cœlo aliquid fiat, ut dicitur.

Ad 4. Motus differunt specie. E. diversa sunt composita s. corpora, non materiæ, *quia motus est adfectio totius Physici, non partis. Deinde non pendet à materia, nisi quatenus ab eâ recipitur; à formâ v. efficitur; hinc potius formæ arguit diversitatem, quam materiæ.* Nec tamen nos concedimus cœlum moveri. Ergo veram est; *unam materiam primam esse in toto universo, & in omnibus ejus partibus.*

QUÆST. III.

An cœlum sit in corruptibile & quomodo?

Celebris hæc est quaestio, & toto notissima cœlo. Nihil adeo clamant ingeminantq; nisi cœlum esse incorruptibile. Paullo igitur altius hæc res repetenda, & cautè examinanda est. Ante omnia igitur, ne fallamur, distinguendum est incorruptibilitatis modos, quantum ad præsens institutum attinet.

1. Incorruptibilitas *negat omnem prorsus corruptibilitatem, & tale ens absolute ἀγένετον est καὶ ἀίδιον.*

2. Incorruptibilitas *negat certam corruptionem. Quia enim quædam Entia: reata non possunt dissolvi, nisi à causa prima, ideog; incorruptibiliter dicuntur.* vid Scheibl. l. 1. Met. c. 18. Tit. 1. art. 2. & c. 16. n. 67. Potentia enim dicitur respectu ætus: *ubi non est ætus naturalis, ibi non*

non est potentia ad destructionem naturalem, Et specialius ista incorruptibilitas sumi potest, respectu specialioris potentiae.

3. Incorruptibilitas negat totius corruptionem, licet admittat partium nonnullarum mutabilitatem

4. Incorruptibilitas negat vel accidentalem, vel substantialem corruptionem, duplex enim est potentia passiva. v. Javell. l. 9, q. 17. His præmissis ponimus Adsertiones sequentes.

I. Cælum primo modo non est incorruptibile, quia talis unicus est Deus noster gloriosus. Si v. Aristotelis verba & mentem consideramus attentius, profecto nullam aliam ille cælo tribuit ἀφθαρσίαν, quam hanc. Cum enim aternitatem Mundi vellet probare, de cælo eam probavit, nempe corpore primo, & perfectissimo l. i. de cælo. Et l. 2. cap. 1. ἕρως ἐστὶ αἰὲν αἰδίου, ἀρχὴν μὲν καὶ τελευτὴν ἔκ ἕχων ἢ πάντος αἰῶνος ἔχων δὲ καὶ πᾶσι ἔχων ἐν ἑαυτῷ τὸν ἄπειρον χρόνον. Sanè magnifica verba, quæ nullo modo ulli creaturæ conveniunt,

II. Cælum Peripatetici secundo modo simpliciter faciunt incorruptibile: nos aliter sentire cogimur. Illi omnem penitus cœlesti materiæ adimunt potentiam recipiendi formam aliam, quæcunq; tandē sit, adfirmantq; πᾶσιν τῶν σωμάτων εἶναι αἰδίου, καὶ ἕτε ἄυξήτιον ἔχον, ἕτε φθίνον, ἀλλ' ἀγήρατον καὶ ἀναλλώγιον, καὶ ἀπαθές, ex Arist. c. 3. t. 21. Adeoq; omnem generationem terminari infra Lunam, supraq; omnia esse immutabilia. Ratio. Omnis generatio & corruptio perficitur ministerio qualitatum contrariarum. ἐν τοῖς ἐναντίοις γὰρ ἡ γέννησις καὶ ἡ φθορὰ Arist. l. d. Et omne quod generatur, sit è Subjecto & contrariis, & omne quod corrumpitur, in contrarium, quod se fortius est, corrumpitur. Jam cælum nullas includit qualitates contrarias, ideoq; nec à seipso dissolvitur neq; habet contrariā formam, à qua pati potest. Non sunt hæc nullius momenti, aut contemnenda cordato & candido Philosopho. Intesim tamen apparuerunt stellæ novæ in ipsâ æthereâ regione longè supra Lunam, ut observarunt accuratissimi Philosophi. Queritur g. unde illæ stellæ? multæ sunt opiniones, quas examinare nostrum jam non est. Frequens est, quæ statuit, miraculosè à Deo eas esse productas, ut etiam Cornimbr. l. 1. c. 3. q. 1. art. 3. Sed non credibile est, Deum semper ad

talia opera extraordinarie concurrere. Quæ enim esset causa? Multas olim tales fuisse stellas, quas pro meteoris habuerunt, sed ex defectu instrumentorum non observatas esse, non est dubitandum, cum præsertim aliquot etiam notatae sint Arabibus, & Hyparcho. Aristot. cœlum expert generationis habuit. Quæ causa? ait l. i. de cœl. c. 3. *In toto præterito tempore pertraditam successione memoriam non mutatum ullo modo visum esse, aut in toto, aut in partium ullâ.* Sed cum nostra ætas hoc adverterit, nonne aliter sentiendum est? Credendumne plus est otiosis Scholasticis, quàm sollertissimis observatoribus rerum cœlestium? Tycho igitur Brahe aliq; clarissimi viri statuunt, posse ex materia cœlesti, singulari modo concurrentibus Planetis novas stellas progenerari. Sed quomodo hoc potest fieri, inquirunt? Resp. modus productionis ignoratur, propterea tamen non neganda ipsa est. Quia ignoratur causa reciprocationis in Euripo, igitur ne è Deo *ἄνευ φυσικῶν* efficitur? Multa certè in naturâ latent abscondita, nec tamen miracula sunt. Qui potuit in his inferioribus introducere generationem, etiam in superioribus potuit licet differentem. Ea propter sic censimus, esse cœlum corruptibile *κατὰ τὴν* nempe à causa duntaxat cœlesti: habere potentiam non ad quasvis formas, nec actuari eam per agens Elementare, adfectum qualitatibus, quales hic sentimus, sed alterius generis agens, adfectum aliis qualitatibus, quorum interventu administratur generatio. Stellas v. propriè dictas & perennes esse prorsus incorruptibiles. Sed hic iterum obstant adversarij nostri, qui, *Quomodo inquirunt, cœlum non subiectis formis sublunariibus, cum habeat eandem materiam?* Hæc obiectio tandem illis extorquenda est. Quod ut fiat, sciendum, eos niti falsissimis hypothesebus. Ajunt, *materiam rebus datam esse ob transmutationem.* Minimè omnium; sed ad sustentandam formam, & recipienda accidentia. Hoc illi officium per se à Naturâ datum est; istud est per accidens. Ajunt deinde; *materiam perpetuò meditari maleficium, & novas appetere formas,* ut Conimbr. in l. 1. Phys. c. 9. q. 4. Absurdum! an materia aliquid agit? an illi judicium est, aut electio? Rectè Scalig. *Qui materiam condidit, formasq; illas condidit, voluit sue quamq; eniq; acquirere. Neq; posuit appetitum in materia mutationis, sed perfectionis tantum. Perficitur a sub qualibet quelibet pars, & toto sub omnibus.* vid. Ex. 6. l. 1. & Ex. 17. Nec magis materia tenetur formæ desiderio, quàm formæ

formæ materia. Igitur materia per se non est principium corruptionis in ullâ re, sed *adjuncta privationi*, quæ est absentia formæ generandæ in subjecto apto proximè eam recipere, ut rectè statuit Javell. l. 9. q. 18. qui tamen falsò existimat l. 8. q. 14. *materia debere naturaliter repugnare subjeti privationi*. Hoc prorsus non opus est. At talis privatio non est in cœlo ad formas hæc inferiores. E. eas nequit admittere. At rursus objiciunt. Materia, antequam jungeretur formæ cœli, nonne potuisset abjungi? Aut ergò eâ potentiam jam amisit, aut retinuit. Non potuit amittere, quia potentia illa est ipsa ipsius materie essentia, substantiatur enim per posse, ut loquuntur: nec enim suavitè quiddam amittet, aut non erit materia amplius. Si retinuit, E. deductur in actum, omni enim potentia naturali passiva respondet activa, ut probat Javellus l. 5. q. 19. Resp. Potentia materia duplex est, Perer. l. 5. c. 21. Javell. l. d. Senn. l. 1. c. 3. *universalis* s. *coæva & essentialis*, quæ apta est indistinctè recipere quamvis formam: & *Particularis* s. *accidentalis*, quæ respicit certas formas, ad quas per certas dispositiones ab agente certo determinata est. Huic respondet duplex privatio, quarum posterior solum, non prior causa est corruptionis, ut fatetur ipse Perer. c. 23. l. d. Ista porro particularis potentia, vel prorsus particularis est, uniq; formæ addicta, ut materia solû: vel ita particularis, ut plures formas respiciat, ad quas adfecta est. Materia itaq; ut dicta applicemus) unum est individuum, cujus pars sustinet formam cœli. Ea sic comparata est, ut non se pelli patiatur ab Elementaribus agentibus, itaq; nullam reliquit materie potentiam ad formas sublimares; sed universalem, quæ tamen non frustrâ est, cum possit actuari, si non ab agente naturali, certè à supernaturali. Sed nondum vicinus. Instant; *Extrema opposita debent esse infra eundem ordinem*. Jam potentia ad omnes formas est in rerum natura, E & agens; potens inprimere formas, in quas illa est in potentia naturale erit. E. datur Elementare agens, quod cœlum destruat. Resp. Universalis illa potentia præcisissimè & abstractissimè sumta dicitur propriè substantiam materia cum habitu ad formam sibi unibilem potentia alicuius agentis. Nihil prætereà, nec certum includit agens, sed indifferens est. Determinata deinde, & limitata à naturali causa, prorsus fit naturalis & particularis. Vid. & Javell l. 5. q. 19. Declaremus rem rudi exemplo. Distrahatur massa ferri in duas portiones, una

gerat figuram annuli, altera ovi. Jam fingamus figuram ovi ita esse impressam, ut nullavi, nulla arte naturali aboleri possit. Erine g. potentia naturalis in ovo recipiendi annuli figuram? Haut credo. Cum enim non possit mutari, nulla inest potentia. Interim tamen universalis potentia manet, quâ & antea potuisset aliam figuram capere; & jam potest, si agens idoneū accedat dispositionesq; materiæ dissolvat. Sed satis de hoc negotio. Miror autem Javellum, qui cum strenuè neget, cœlo posse constare suam perpetuitatem, si retineat potentiam ullam ad alias formas, tamen l. 8. q. 14. concedit; si forma cœli uniretur materiæ inferiori, cœlum esse in- corruptibile per alterum. Ubi jam tua potentia est, Javelle? nonne etiam ex suâ naturâ (manendo intrâ terminos) est incorruptibile, si ab altero nequit corrumpi, ob essentia suâ constantiam?

III. *Cœlum est incorruptibile secundum se totum, licet secundum partes quasdam sit corruptibile.* Cum enim sit corpus homogeneum, abolitâ in unâ parte formâ, non necesse est totam simul aboleri.

IV. *Cœlum est corruptibile respectu quorundam accidentium*, ut est illuminatio, densitas, raritas, aliæq; fortassis, quæ nos latent. vid. Javell. lib. 9. q. 17. *Quod dicunt nonnulli, sidera pasci terrestribus vaporibus: fumos elevatos in aethere accendi: Lunæ maculas esse sordes contractas: cœlum esse luminis vehiculum: cœlum suppeditare stellis alimentum, quæ propter continuam radio: um emissionem aliàs evanescent, ut putat H. Nollius l. 2. c. 2. Physic. Herm.* Ea inquam vana sunt, nec digna operosa confutatione.

QUÆST. IV.

An cœlum sit Elementaris natura?

Aristoteles negat, statuitq; *cœlum esse πεμπτόν σῶμα, adeoq; nec aquea, nec aerea, nec ignea, nec terrea substantia.* Ait. I. de cœl. c. 2. t. 16 *ἔστι τι πᾶσι τὰ σώματα τὰ δεῦρο καὶ πρὸ ἡμῶν ἴτερον κενωρετ μένον ἰσοῦ τῶ τιμιωτέραν ἔχον τὴν φύσιν, ὡς περ ἀφέσηκε τῶν ἐνταῦθα πλέον.* Probat præcipue ex motu; quoniam ἡ ἀπλή φορὰ ἢ πρὸς τὸ μέσον non competit ulli ex quatuor istis simplicibus corporibus E. ait, *datur quinta quædam simplex essentia.*

nos

Nos nil iuvat hæc ratio : interim non ineptè quis stellis accommoda-
rit. Eidem tamen assentimur. quia

1. *Ubi sunt diversissima adfectiones, & effectiones, ibi quoq; diversa
est essentia* : At in cœlo &c. E. cœlum est alia essentia, non Elementū.
Minor clara est ; quia in cœlo est summa puritas, subtilitas, perspicui-
tas : in stellis lux pulcherrima, in utrisq; occultæ actiones, non n. tam
nobilissimæ formæ otiosæ esse possunt.

2. *In Mndo nostro sublunari omnia sunt variabilia, in constantia,
perpetuis vicissitudinibus obnoxia* : At in cœlo ista non reperiuntur.
Eandem enim stellæ lucem, distantiam, cursum servant, quod fieri nō
posset, si cœlum & stellæ jactarentur ætū qualitatum Elementarium.
E. cœlum non est compositum ex Elementis.

3. *Quodcumq; corpus supremo loco situm est, estq; commune ac u-
niversalissimum agens, in omnia subjecta corpora vim influentem spar-
gens, eorumq; mixtiones gubernans &c. id ut agendi efficaciam, ita natura
excellentiā in, qua regit, præstare debet.*

Objiciuntur hic :

I. In genere. i. *cœlum est coloratum colore Sapphirino, & Sol cro-
ceus apparet, & luna variatur in Eclipsibus.* Resp. cœli & solis color
apparens est, vid. Scalig. Ex. 61. f. 3. & 66. & 80. & 82. f. 14. Lunæ au-
tem subtrahitur lumen mutuaticium.

2. *Cœlum habet communia accidentia, ut densitatem, raritatem,
duritiem.* E. Resp. Non omnia accidentia arguunt materiæ identi-
tatem, sed propria & reciproca, nec cœlum durum est, sed tenuissi-
mum, & subtilissimum.

3. In cœlo generantur novæ stellæ. Resp. Hoc potius pro no-
bis est. Quia enim stellæ istæ longè diversæ sunt ab Elementaribus
rebus, sequitur & materiam diversam esse.

II. In specie nobiscum pugnant opiniones quæ excutiendæ
sunt.

1. Ignem esse multi olim & hodieq; adseuerunt H. Nollius l. 2.
c. 2. *firmamentum dicit esse igneum.* Et novus quidam Physicus c. 6.
*Ignem sublunarem purum putum esse firmamentum a t. cœli ipsum ignem
lucē instructum esse supremum Mundi Elementum.* Aliqui tamen ex illis
ut adverit Arnst p. 177. ludere videntur metaphoris. accipientes i-
gnem pro luce, dum dicunt ignem istum *cœlestem esse multo præstan-
tioris*

tioris naturæ, quàm Elementarem. Ratio autem ferè adfirmantium est, quia cælum lucet, & calefacit. Omnem autem lucem & splendorem esse ab igne, virtutesq; proprias in propriâ ubiq; naturâ fundari, ut urget Marf. Ficinus c. 24. in Tim. Plat. Resp. Stellis hæc competuat, in cælo, ideoq; ad nos directè non pertinet, sed quia eandem materiam cælo & stellis subesse largimur, ideoq; sciendum. 1. non omnia lucida esse calida, vid. Barth. in Astrolog. 2. stellas calidas esse *ερεγγυτικῶς*, non *παθητικῶς*, vid. Scalig. Ex, 23, & 57. l. 2. & Zabar. lib. de cal. cæl. c. 1. ubi probat firmis rationibus, calorem non proficisci à subjecto cœlesti formaliter calido. Sennertus l. 2. c. 2. dicit calorem illum non esse quidem igneum, sed sui generis sed hoc pugnat & cū rationibus Zabarellæ, & cum ijs, quæ probant calores specie non distingui. Caterum si cælum est ignis, cur non dudum omnia devoravit & in naturam suam convertit? Est n. actuosissimus, & præterea regio ætherea incredibili mole nostram superat.

2. Qui esse volunt aerem, non sunt *ὁμοδοξοί*. Sunt, qui purum aerem esse adferant. Sumo arg. ex c. 1. Gen. v. 6. ubi dicitur Deum fecisse, expansum dividens aquas ab aquis, illudq; vocasse cælum. Nil autem videmus, nisi aerem. Add. 2. Diversitas diaphanorum parit refractionem: E. radij refringentur, incidentes in corpus densius. Resp. ad 1. Totum illud spacium vocatur expansum accommodatissimè, non tamen impedit, quò minus sit diversæ naturæ. Nonne enim aulaeum ex serico & panno expansum dici possit, si expanderetur? Et scriptura expressè distinguit inter expansum ætheris & aeris, dum ait Deum posuisse stellas in expansione firmamenti. Ad 2. Resp. quidam non necesse esse refractionem in eadem ferè diaphaneitate præditi diaphanis. Keplerus v. l. 4. Astron. Cop. p. 443. *omnino adfirmat dari refractionem in supremo aere.* Timplerus aerem facit speciem cœli l. 1. Apf. c. 5. probatq; 1. ex definitione cœli, quam ponit c. 2. l. d. 2. ex Scripturâ, alijsq; Auctoribus, qui aerem cœli nomine nominant. Resp. ista definitio falsissima est, quod vel patet ex ipso Timplero. Nam ait, cælum esse ætherium, & ambire Mundum elementarem. Jam, ut probat ipse, c. 5. aer variis mutationibus est obnoxius. Nonne g. elementaris? & quomodo erit cælum? 2. aer cælum dicitur, non stricto, sed laxo cœli significatu. vid. Meisn. Philos. sobr. s. 3. q. 2. Danæus in Physf. Chr. mirificas quoq; adfert cogitationes.

nos. Fingit *ff* acium à nubibus usq; ad cælum extimam, ipsi *ævas* & *diversum* ab aere, in quo collocat sidera, vid. Tr 4. c. 12. & 15. sed, quid eo opus, cum Deus ipse posuerit astra in sublimi altissimaq; expansione? Keplerus ait, esse *auram limpidissimam, susam per Mundi amplitudinem, tenuiorem hoc nostro aere, etiam cum purissimus est, immenso propemodum intervallo.* Quibus verbis aperte indicat aetheris diversitatem, et si eum auram esse dicat propter summam subtilitatem.

3. Qui aquam statuerunt, multi fuerunt ex Patribus; Qui terram, paucissimi. Eorum rationes nullius sunt momenti. vid. Meissn. l. d. Conimbe l. i. q. 2. Keck. f. 2. c. 1. 4. Plato *cælum componit ex floribus quasi & deficiis omnium Elementorum, maxime verò ex igni.* In Epinomide ait, alterum animalium genus (coeleste) ignis plurimum possidet, terræ quoq; & aëris ceterorumq; omnium parva particulas habet. Et Marf. Fic. l. d. *Ex quatuor, inquit, Elementis geometrica & Musica invicem ratione conjunctis universus Mundus est compositus: ita tamen, ut consonantia horum in cælo nullam unquam dissonantiam patiatur.* Item; naturam ignis eminentissimam præbere cælo visibile lumen, visumq; calorem motumq; promptissimum. Naturam terræ largiri solidam firmamq; stabilitatem. Item & stellis densitudinem, quæ videri possint: & Lunæ, quæ radios repellat solares. Naturam aëris præstare perspicuam qualitatem, quam nominant translucentem. Naturam aque afferre delicatissimam, & æquabilissimam lenitatem. Et quod maximum est, ipsis spherarum labiis, quibus se contingunt, inserere virtutem illam frigoris & humoris, per quam fiat, ut quamvis ex velocissimo motu, vehementissimè se contingant, ætus tamen illis resolutioq; non accedat. Platonem sequuntur multi ex hodie Philo sophis. Robertus de F. uetibus. l. m. i. de Principi. Macrocos. Elementa ait reperiuntur in omnibus Mundi regionibus. In infima, sæculenta, crassa: in mediâ, puriora, in summa splendidissima, & summe perfecta. Et alius: Materia prima fuit confusum chaos triplicis tum suavis tum caloris, tum luminis, ut possint ex eâ fieri triplicia elementa. Unum quidem simpliciter liquidum, subtilissimum & nobilissimum omnium, supremum, quod cælum Emyreum dicitur, ex fluore liquido, simplici calore, & lumine: tum contra ex fluore sicco, frigore & umbrâ elementum infimum & crassum, terra. Media autem elementa: æther, aëris & aqua ex fluore humido, calore tepido, & pelluciditate. Sed hæc suavia sunt *Πυρρόματα.*

G

Simil-

Simillima Portarum fabulis, nec postulant prolixè refutari, cum rationibus ferè nullis muniantur.

QUÆST. V.

An cœlum sit animatum.

Negandum omninò est, Anima, ut finit Philosoph. 2. de an. c. 1. t. 6. εἴη ἐντελεχεία ἡγεῖα τῆ σωματικῆς φύσεως ζωὴν έχοντος δαδάμεν. Jam cœlum non est corpus organicum. Cœlum non habet potentia vitam, id est, non est aptum ad ex. tendendas operationes vitales: non enim crescit, augetur, generat. &c. E. in cœlo anima non est ponenda. vid. Conimbr. l. 2. c. 1. q. 1.

Sunt tamen, qui cœlum faciunt animatum, ita colligentes: cœlum regit inferiora, E. illis præstantius est; non esset autem si esset inanimatum. Resp. Est præstantius, quantum postulat istud regimen, i. præstantioribus qualitatibus instructum: non tamen opus est, ut sit simpliciter. Sed hic sectæ sunt. I. *animatum esse dicunt sicut à intelligentiâ*, ut Zabarell. c. 1. aliq; Aristotelici omnes qui sic explicant Præcept. l. 2. de cœl. c. 2. l. 13. Ubi ait, ὁ ἄβρανός ἐμψυχός, καὶ ἔχει κινήσεως ἀρχήν. Sed nos non agnoscimus intelligentias, nec propterea cœlum dicendum propriè est animatum, ut ipsi concedunt.

II. *Animatum esse dicunt animâ, quæ vis est ἐνεργητικὴ ἢ illi à Deo inditâ*. Resp. eam vim concedimus, sed nimis impropriè dicitur anima. Quid enim non esset animatum?

III. *Fuerunt, qui intelligentiam formam internâ cœli esse dicitarent*. Sed hi nimis absurdi. vid. Conimbr. & Verf. l. 2. q. 6. Arnif. p. 213.

IV. *Alij cœlum tale animal esse putarunt, quæle bos, aut Elephas, passiq; illud vaporibus quæ per petud atrahat*. Sed hi longè absurdissimi, nec digni, quibus respondeatur.

V. Alij, cum removeant potentias animæ vegetantis & sentientis (quod tales ordinentur ad conservationem vitæ, adeoq; sint in corruptibilibus) relinquerunt appetitum, & loco motivam: alij v. etiam profusè intelligentem fecerunt. Verum cur non cœlum est homo, aut Spiritus, si intelligit? aut quomodo potest anima superior consistere absq; inferiorè? vid. Verfor. l. d. Arnif. p. 210.

VI. Deniq; sunt, qui cœlum animâ Mundi informari statuunt. Sic pla-

Plato in Dial. de an. M. ait, Deum possuisse animam mundi in ipso me-
dio, & extra eduxisse. p. 621. Sic verò omnia essent animata. Nec ta-
men opus est animam ejusmodi universali. vid. Conimbr. l. 2. c. 1. q.
1. de cælo.

QUÆST. VI.

An cælum constet orbibus realibus?

Ita magno consensu docent plurimi Peripateticorum, & Astro-
nomorum, quorum alij ex tribus, alij ex octo, alij ex novem, alij ex de-
cem, alij ex pluribus, infinitisq; ferè cælum coagmentant. Has conca-
merationes probant ex numero diversitate. Sed negant hodiè hoc
sollertiores Mathematici. Et rectè. Nam,

Si sunt orbés, vel datur penetratio dimensionum, vel aliquando
confringuntur: At utrumq; absurdum est. E. Nam observationes accu-
ratissimæ demonstrant stellas modo adscendere, modo descendere,
& nunc altiores, nunc humiliiores esse inter sese. Ergò verius est, stel-
las moveri vi formæ suæ energiticæ à Deo inditæ. Timpler. l. 2. c. 2.
Angelos singulis stellis adsociat; sed præter rationem. Vid. Sen-
nett. & Barthol. in Astrolog. qui etiam Keckerm. rationes, quibus
observationes suspectas conatur reddere, refellit doctè p. 148. & seqq.
Nos hic tantum adjiciemus sequentes objectiones.

1. *Obj. ratio alias non reddi potest motuum cælestium.* Resp. Imò
optimè, sive Origani sive Copernici sive Tychois sequaris instituta,
ex quibus, quænam sint rerum veritati maximè congrua, non no-
strum est disputare.

2. *Arist. 8. Phys. c. 10. t. 27. ὁ δὲν πεπερασμένον κινεῖν ἄπειρον
χρόνον contendit.* Resp. concedimus, sic τὸ infinitum rectè intel-
ligatur. Nam, ut expl. Conimbr. *Quod movet per se & independentè,
tempore infinito habet virtutem infinitam.* Sed stellæ hoc non faci-
unt. &c. Quid tamen obstat quò minus indefinenter movere possint,
supposito generali Dei concursu, cum nec medium illos defat get,
nec materia mobilis reluctetur?

3. *Ordo admirabilis motuum cælestium nequit proficisci à formâ brutâ,
sed intelligente.* Resp. Minimè opus est, ut quod ordinè observat, eum in-
telligat, sed sufficit si observatur intellectu dirigente. Nonne omne opus
naturæ est opus intelligentiæ, ut loquuntur? Nonne omnia irrationalia


agunt propter *finem non à se sed à causâ superiore intellectum?* In omnium ferè creaturarum actionibus tanta inest harmonia, & varietas, ut non minus ac stellæ propterea intellectu videatur participare. Vide ruzhi apes, quàm ordinatè. Rempl. suam administrant! hinc nonnulli quoq;

Esse apibus partem divinæ mentis & hausit

Ætherios dixere -- Virg. 4. Georg. Vide formicas, vide humbyces, aliaq; animalia brutissima. Et quid dicam plura? norunt hoc factis ingeniosissimi quic; homines, qui in rebus sæpissimè abjectissimis cœcutiunt, neq; illarum causas indagare possunt. Qui verò nondum his persuaderetur, intueatur solum animæ vegetantis actiones, in animalibus. Quanta cum conspiratione membra sibi invicem famulantur! cibum adsumunt, præparant, concoquunt, attrahunt, transmittunt, purgant, secernunt, distribuunt, sibi adsimilant, & hæc omnia absq; ratione? Non minus ista stupenda sunt, ac stellarum conversiones. Quid dicam de generationis modo, de vacui fugâ alijsq; feculentis? Eapropter, si rotulæ automati artificii obediunt: Immo, si sidera ab hominibus fabricata cursus suos rectè observant, cur non Omnipotenti Deo sua opera idem præstent obsequium? Qui iussit, ut stellæ motu suo describerent tempora, vim quoq; illis addidit, & virtutem. O Deus, qui regis sidera, rege nos quoq;, ut curramus recto itinere ad eam, quam nobis præscripsisti, metam; ad arcem mirum Pietatis & Eruditionis, & per hanc ad arcem æternam æternæ felicitatis!

F I N I S





Nos nil juvat hæc ratio : interim non ineptè quis fir-
rit. Eidem tamen assentimur. quia

1. *Ubi sunt diversissima adfectiones, & effectio-
ne est essentia* : At in cœlo &c. E. cœlum est alia essentia
Minor clara est ; quia in cœlo est summa puritas, su-
tas : in stellis lux pulcherrima, in utrisq; occultæ ad-
nobilissimæ formæ otiosæ esse possunt.

2. *In Mundo nostro sublunari omnia sunt variab-
perpetuis vicissitudinibus obnoxia* : At in cœlo ista
Eandem enim stellæ lucem, distantiam, cursum serv-
posset, si cœlum & stellæ jactarentur actu qualitatu
E. cœlum non est compositum ex Elementis.

3. *Quodcumq; corpus supremo loco situm est , e-
niversalissimum agens, in omnia subjecta corpora vim
gens, eorumq; mixtiones gubernans &c. id ut agendi e-
excellentiâ in, quæ regit, præstare debet.*

Objiciuntur hic :

I. In genere. i. *cœlum est coloratum colore Sapp-
æcus apparet, & luna variatur in Ecclipsibus.* Resp. c
apparens est, vid. Scalig. Ex. 61. l. 3. & 66. & 80. &
tem subtrahitur lumen mutuaticium.

2. *Cœlum habet communia accidentia, ut densi-
duritiem.* E. Resp. Non omnia accidentia arguunt
tatem, sed propria & reciproca, nec cœlum durum e-
num, & subtile situm.

3. In cœlo generantur novæ stellæ. Resp. H-
bis est. Quia enim stellæ istæ longè diversæ sunt a
rebus, sequitur & materiam diversam esse.

II. In specie nobiscum pugnant opiniones
sunt.

1. Ignem esse multi olim & hodieq; adseverur-
e 2. *firmamentum dicit esse igneum.* Et novus qui
Ignem sublunarem purum putum esse firmamentum a t-
lucē instructum esse supremum Mundi Elementum. A
ut advenit Arnis p. 177. ludere videntur metapho-
gnem prode, dum dicunt ignem istum cœlestem

